

tradicunt : his enim prædicatis numerus singularis proprius est, si essentiae aut attributis tribuantur; pluralis autem convenit, si ad Personas aut proprietates referantur : unde si obscuritas subinde adsit, aut periculum, vel suspicio erroris, juvabit quidem dicere res, entitates, veritates et perfectiones cum addito : *personales, relativas, notionales* etc. Quod ex ratione adjectum est, ex memoratis patet neutram sequelam tenere : præterquam quod etiam quælibet Persona aliarum Personarum perfectiones contineat tum *eminenter*, ratione essentiae sibi identificatae; tum *aequivalenter*, ratione propriae personalitatis aliarum personalitati aequivalens; tum *formaliter*, ratione circuminseptionis, sive continentiae specialis, qua quælibet Persona perfectionem alterius propriam continet, modo tamen et ordine distincto, ut Ruiz Disp. 30. Sect. 5. explicat.

Porro communius dicuntur perfectiones *simpliciter*; quia respectu ejusdem Personae hæ perfectiones sunt impossibiles, nec una melior altera : respective tamen ad essentiam dici possunt *simpliciter simplices*; quia essentiae eidem identificantur, et melius est eas habere quam non habere. Quanquam, an illæ debeant dici tres, an una tantum perfectio simpliciter simplex, videat, qui volet, apud Ruiz Sect. 9. loc. laudato.

ARTICULUS II.

QUENAM SINT PRINCIPIA DIVINARUM PROCESSIONUM?

368. *Nota.* Processio in Divinis duo dicit, productionem scilicet Personae, et communicationem naturae. Ad utrumque comparata sumitur vel *active* seu pro principio, vel *passive* seu pro termino, vel *formaliter* seu pro actione. Prior acceptio est præcipua, utpote ad quam reliquas accommodare oportet; unde in una uberius versabimur. Principium cujuslibet actionis statuitur duplex, aliud *quod* seu denominationis, cui agentis denominatio tribuitur, illudque est suppositum agens, unde commune est axioma : *Actiones sunt suppositorum*; aliud *quo* seu actionis, cui convenit ipsum agere, et est vis ac virtus, per quam suppositum agit. Principium *quo* subdividitur in radicale seu remotissimum, quod radix est actionis, seu virtus agendi primordialis; in potentiale seu remotum, quod est potentia actionis, seu virtus agendi intermedia; in formale seu proximum, quod est forma aut vis actionis, seu virtus agendi immediata.

Porro certum ac receptum jam est 1°. Principium *quod* tam productivum, quam communicativum in Divinis esse idem; quia principium productionis in Divinis est productivum termini per se consubstantialis producenti, seu in eadem numero natura identificati : 2°. Idem principium in Divinis esse Personam, Patrem quidem respectu Filii, Patrem autem ac Filium respectu Spiritus sancti; cum Scriptura et Traditio declaret, Filium a Patre, et Spiritum sanctum a Patre Filioque accipere suum esse, suam substantiam et personalitatem : 3°. Naturam divinam, ut præintellectam intellectui et voluntati, esse quidem principium *quo*, sed radicale duntaxat ac remotissimum. Ratio *primi* est, quia est radix actionum omnium, requiritur simpliciter in productione, adest identice in communicatione : ratio *secundi* est, quia in

contraria DURANDI sententia nequit assignari ratio, cur Filius sit Verbum, Spiritus sanctus amor? cur processio Verbi sit generatio, Spiritus sancti non? cur processio Verbi præcedat processionem Spiritus sancti? cur Filius ab una, Spiritus sanctus a duabus Personis procedat? cur Spiritus sanctus a Filio, Filius non vicissim a Spiritu sancto procedat? cur duæ sint processiones, non una aut plures? etc. 4°. Nec intellectum aut voluntatem, nec intellectionem aut volitionem essentiali solam ac seorsim esse principium *quo* proximum, quamvis sint remotum. Ratio *primi* est, quia potentiae et actus hujusmodi essentielles sunt omnibus Personis communes, quæ omnes, sicut non sunt principia *quod*, sic nec illæ possunt esse principia *quo* proxima, neque a producto secundum quid distingui; quod tamen ob rationem productionis et influxus necessum est evenire : ratio *secundi* est, quia Filium per intellectum, Spiritum sanctum per voluntatem procedere, jam dictum est.

Sequitur ex his, principium *quo* proximum productivum sine proprietate divina explicari non posse. Quomodo autem hanc dicat, an connotative tantum, an partialiter, an totaliter ac unice, prout diversa hic est Auctorum sententia, nunc inquiritur. Tandem, quid communius circa principium *quo* communicativum dicatur, paucis subjiciemus.

369. *Dico I.* Principium *quo* proximum productivum in divinis processio- nibus sunt solæ proprietates Personarum producentium.

Prob. AUCTORITATE. 1°. Juxta Conc. Later. IV. sæpe laudatum essentia divina neque generat, neque gignitur, neque producit, neque procedit; quæ tamen propositiones essent veræ, nisi proprietates solæ forent principium *quo* proximum. 2°. Juxta CYRILL. ALEX. cont. Antropomorph. c. 6. (opp. t. 6. p. 374) : *Id quod Patrem esse intellexeris, hoc etiam est Filius, præter id unum quod Pater est.* ATHAN. Dial. 1. de Trin. n. 4. *Pater hypostasi gignit, et mandato creat.* juxta AMBR. L. 4. de Fid. c. 8. n. 81. *Generatio paternæ proprietatis est, non potentiae, juxta DAMASC. L. de 2. Christi volunt. n. 11. Omnia, quæ habet Pater, sunt Filii, sola gignendi vi excepta (1).* 3°. Juxta D. Thom. in 1^{um}. Dist. 7. q. 1. a. 2. *Essentia secundum quod est Paternitas, est principium hujus actus, quæ est generare, non sicut agens, sed sicut quo agitur*; item p. 1. q. 36. a. 4. ad 2. *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti : designatur una proprietas, quæ est forma signata per nomen, scilicet principium; et Opusc. 72. Unde essentia est quasi principium primum, proprietas vero proximum.*

Prob. RATIONE. 1°. Quod convenit uni Personæ et alteri repugnat, debet illi formaliter convenire ratione illius quod ipsi proprium est, et in quo ab alio differt : sed esse principium *quo* proximum generandi convenit Patri et repugnat Filio; ergo formaliter convenit Patri ratione illius; quod ipsi est proprium, et in quo differt a Filio; atqui hoc est sola proprietas relativa Patris; ergo.

2°. Ubi distinctio fundatur in productione, ibi illud formaliter et immediate producit, quod formaliter ac immediate distinguit; quia principium

(1) Ita latina editio Billii; textus autem græcus habet : Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατήρ, τοῦ Υἱοῦ εἰσὶν, πλην τῆς ἀγεννήσιας. Omnia quæ Pater habet, sunt Filii, excepta ingentis proprietate.

distinctionis habetur, quatenus id est principium productionis: sed sola proprietas, seu relatio Personæ producentis formaliter ac immediate distinguit; ergo et formaliter ac immediate producit.

3^o. Nullum absolutum in Divinis est realiter immediate distinctum a termino relativo: sed omne principium etiam quo proximum productivum est realiter immediate distinctum a termino producto et hinc relativo; tum quia vere influat et proprie producit terminum, adeoque ab illo distinguitur; cum nequeat idem producere seipsum, aut influere in seipsum: tum quia principium quod est distinctum propter principium quo influens ac producens; propter quod autem unumquodque tale, illud magis tale; ergo nullum absolutum in Divinis est principium quo proximum productivum.

370. *Dico II.* Principium quo proximum communicativum in divinis processionibus formaliter est natura divina, quatenus hæc terminos immanentes exigit sibi identificare, et se omnesque perfectiones absolutas illis communicare.

Prob. Principium quo proximum communicativum est illud, vi cuius Pater Filio, et uterque Spiritui sancto eandem numero naturam communicat, ita ut tres Personæ sint unus, idemque numero Deus: sed tale principium est sola natura divina; quia hæc ratione suæ simplicitatis, actualitatis et perfectionis in omni genere exigit sibi identificare, sequæ ei communicare quicquid est sibi immanens; termini autem producti sunt tantum immanentes naturæ divinæ, non vero personalitati seu relationi producenti; ergo.

Conf. Sicut virtus qua producitur esse distinctum, non potest eadem esse cum distincto: sic e contrario virtus qua communicatur idem, non potest esse distincta; quia alias communicaret alteri aliquid aliud, non autem seipsam; nec fieret communicatio per identitatem realem: atqui sola natura divina communicatur, et est eadem secum ipsa communicata; ergo eadem etiam est virtus, vi cuius communicatur idem.

371. *Obj. I.* Natura divina non potest excludi a ratione principii quo proximi productivi. Nam Bas. L. 5. cont. Eunom. (Opp. t. 4. p. 317. A.) ait, *Deum ex seipso, natura divina,.... genuisse genuinum Filium.* CYRILL. ALEX. Thes. L. 5. et 32. (opp. t. 5. p. 37. et 273.) docet generativam virtutem esse essentia divinæ; et Ansel. in Monol. c. 52. inquit: *Non ex relationibus suis, quæ plures sunt.... sed ex ipsa essentia sua, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater et Filius tantum pariter bonum.*

R. N. Ass. BASILIUS et CYRILLUS generationem tribuunt naturæ divinæ tanquam principio radicali et remotissimo, non autem tanquam formali et proximo: item tribuunt naturæ sumptæ identice, ac in concreto, non autem formaliter, et in abstracto: denique his verbis utebantur ad refutandum errorem Arianorum, qui Filium in Divinis, sicut creaturas, libere, non autem naturaliter et necessario, produci volebant. ANSELMUS scopus est probare unitatem principii spirativi: hoc autem non consistit in relationibus, quibus Pater et Filius distinguuntur et plures sunt, sed in potentia spirandi, qua inter se non distinguuntur, sed unum sunt, quamvis ea uterque a Spiritu sancto distinguatur. Hanc vero potentiam spirandi appellavit essentiam,

quia respectu Patris et Filii illa absolutum, necessarium et commune est prædicatum.

Inst. 1^o. In Conc. Flor. JOANNES THEOLOGUS Sess. 18. et 19. declaravit, principium, quo Pater generat, esse id solum, quod communicabile est; ergo.

R. Verba allata non esse JOANNIS THEOLOGI, sed ista, Sess. 18. §. EGO AFFIRMAVI (Lab. t. 13. p. 251.): *In divinis dicimus secundum intelligentiæ nostræ modum, personam Patris significari ut suppositum, ut Persona sit generans; naturam vero divinam esse principium, per quod Pater generat Filium.* Et Sess. 19. §. AD EXEMPLI DECLARATIONEM (p. 267.): *Est ergo substantia Patris principium, per quod generat Pater. Jam vero neutro in loco loquitur de principio proximo, ut omnibus facile vox essentiæ et substantiæ ostendit: nec loquitur tam de principio productivo, quam de communicativo; quia in textu primo statim addit: Ita Pater generat Filium, et non communicat personalitate, sed natura, cum substantia seu natura communicetur Filio: in secundo autem sic pergit: Et res quæ datur et communicatur Filio per generationem, et quam Filius sibi accipit communicatam.*

Præterea advertendum est, Sess. 18. sæpius contestatum esse, quod ex Patre, aut ex Filio esse, idem sit, ac esse ex subsistentia Patris, aut ex subsistentia Filii: dum autem intelligeret a Marco Oratore Græco hanc doctrinam detorqueri ad id, ut duplex principium spirativum Spiritus sancti evinceretur; adjecit JOANNES utrobique explicationem relatam. Ne tamen hæc ipsa fraudi esse posset, Sess. 19. cavet imprimis §. jam laudato ita prosequens: *Quia essentia est nomen abstractum et non est suppositum, idcirco fieri non potest ut illi conveniat generationis actio: namque cum una numero sit, si generaret, oporteret in Divinis esse differentiam; siquidem seipsam non generaret, impossibile enim est; sed opus esset aliud quid generari ab ipsa. Deinde vero ibidem §. LEGATUR ERGO LIBER, de spiratione agens, ad superiorum in ANSELMI locum explicationem nostram sic ait (p. 275. A.): Habet ergo Pater communem cum Filio per generationem ipsam essentiam, quæ est principium per quod illi communicat esse principium Spiritus sancti; esse enim principium sancti Spiritus in Patre, non opponitur relationi, seu proprietati Filii. Hæc substantia secundum commune et absolutum esse, est principium per quod; atque ita juxta considerationem hanc vocatur potentia productiva et communicata ipsi Filio; nec sequitur ex hoc quod sit substantia causans et causata. Sic omnes Doctores tradunt et explanant in illis disputationibus, an Filius sit ex substantia Patris, vel Spiritus sanctus ex substantia Patris et Filii.*

Inst. 2. S. THOM. p. 1. q. 41. a. 5. potentiam generandi in Divinis principaliter tribuit naturæ, non relationi, docetque naturam divinam esse, quo generans generat; id quod tum ex paritate generationis in creatis, tum ex ratione assimilationis in generatione requisitæ probat.

R. Opponi posse textus a nobis laudatos. Si vero auctoritas Summæ et Questionis posterioris præferatur illis, dici potest D. THOMAM hic agere maxime de principio formali communicativo; quod et ratio in assimilatione fundata et restrictio processionis ad generationem satis indicat. Si tamen mens S. Doctoris contraria forsitan videatur, ejus auctoritas compensatur auctoritate D. BONAVENTURÆ nobis faventis; argumenta autem proxime solvantur.

372. *Obj. II.* Principium quo proximum productivum 1^o. non debet esse realiter distinctum; quia quamvis producat et productum realiter distinguantur, tamen virtus productiva potest esse realiter indistincta; sicut quamvis æqualia et similia inter se distinguantur, forma tamen denominans scilicet quantitas vel qualitas eadem potest esse in extremis: 2^o. saltem non debet esse totaliter distinctum; quia nequidem principium quod totaliter distinguitur a principiatio: 3^o. potest esse in Divinis realiter indistinctum; quia hic principium hoc est potentia generans vel spirans; hæc autem potentia est intellectus vel voluntas; ista autem sunt prædicata absoluta, quæ realiter indistincta sunt a relativis.

R. *N. Ass. 1^{um}.* Ad rationem *Disparitas* est, quia forma denominans duo extrema æqualia vel similia est unitas quantitatis, vel qualitatis, præcise extremum hoc referens ad illud; unde, cum unitas non tantum sit specifica, sed etiam numerica, et ipsa relationis cujuscumque ratio per se non exigat distingui aut in utroque, aut ab utroque, aut ab illo extremo, ad quod alterum refertur; eadem quantitas vel qualitas potest esse in ambobus extremis: forma autem denominans principium quod producat, illud non solum refert ad terminum productum, sed etiam, qua talis, in terminum realiter productivum influit; adeoque realiter debet ab illo distingui, ne detur virtus realiter productiva sui ipsius et influxiva in seipsam.

Similiter *N. 2^{um}.* Ad rationem *Disparitas* est, quia principium quod non est duntaxat productivum, sed simul communicativum, ut supra dictum est; ergo cum communicetur eadem numero, et indistincta natura, non potest etiam secundum eandem et sic totaliter esse distinctum: principium quo proximum productivum autem non est simul communicativum, sed hoc est natura divina; quod autem solum et totaliter productivum est, tantum et totaliter distinctum esse a producto, ut tali, necesse est.

Denique *N. 3^{um}.* Ad rationem *D.* Principium quo proximum in Divinis est potentia generans vel spirans immediata et proxima *C.* mediata et remota *N.* Intellectui autem, et voluntati non nisi posterius prædicatum convenire, insinuat est in prænotatis.

Inst. 1. Principium quo proximum productivum debet esse activum: sed proprietas in Divinis non est activa in genere; tum quia nec hæcitas in creatis est activa: tum quia proprietates divinæ in actionibus ad extra nihil operantur, sed natura: tum quia divina proprietas, ut personalis, est ultimus tantum terminus naturæ, iners et infœcundus; ut relativa autem ordinem duntaxat dicit unius ad alium, et processionem supponit, in qua fundatur.

R. *N. min.* Ad prob. quoad 1^{um}. *Disparitas* est, quia hæcitas vel subsistentia in creatis, aut merus existendi modus est, aut in negativo consistit; natura etiam potest esse principium quo productivum, quoniam producitur terminus secundum naturam etiam numerice saltem ac realiter distinctus: in Divinis vero proprietas seu subsistentia consistit in positiva perfectione, quæ ad intra debet esse activa; cum natura, quæ numerice est eadem in principio et principiatio, non possit esse principium quo proximum productivum et consequenter distinctum.

Quoad 2^{um}. *Disparitas* est, quia potest natura divina esse principium productivum termini ad extra, utpote ab illa totaliter distincti, personalitates autem hujusmodi principium esse nequeunt; quandoquidem actio ad

extra sit omnibus Personis communis, nulli specialis, et singulariter propria: in utroque contrarium habetur respectu actionum ad intra.

Quoad 3^{um}. *N.* utrumque. Quamvis enim proprietas personalis, considerata ut constituens, formaliter non exprimat fecunditatem vel actionem, ut tamen distinctiva et considerata ad terminum, iners et infœcunda dici nequit: et quamvis alterum dici possit verum, quantum ad relationem prædicamentalem qua talem; falsum tamen est de relatione transcendentali. Sed plura de his in Art. sequenti.

Inst. 2. Proprietas personalis non est activa in specie; tum quia proprietas divina proprietatem aliam nec continet formaliter, ut per se patet; nec eminenter, cum ex hac continentia sequeretur major perfectio producentis, quam producti: tum quia proprietas non potest esse principium generativum, utpote quod est assimilativum; quale proprietas distinctiva esse nequit: tum quia relationes duæ, utpote realiter inter se distinctæ, non possunt esse unicum ac indivisibile principium; quale tamen respectu Spiritus sancti admitti debet.

Quoad 1^{um}. R. Concedo equidem nec formaliter, nec eminenter contineri unam personalitatem ab altera; Nego autem non contineri virtualiter aut æquivalenter: ex hac vero continentia nihil virtuti principiatiæ detrahitur, nec quidpiam etiam ultra perfectionis simplicis terminos adjicitur.

Quoad 2^{um}. R. In Divinis principium assimilativum in ratione naturæ non est productivum, sed communicativum; quia natura hic non producitur, ut in creatis, sed communicatur: assimilativum tamen in ratione imaginis intentionalis et consubstantialis, quam præter naturæ identitatem dicit Verbum, est productivum, et per hoc etiam generativum; ut in proxima questione pluribus docebitur.

Quoad 3^{um}. R. *N. Supp.*, quod paternitas et filiatio sint principium quo productivum Spiritus sancti; sed hoc est virtus spirativa ab utraque relatione formaliter distincta: quæ, cum sit eadem indivisibiliter in Patre et Filio, non constituit duo, sed unum indivisibile principium Spiritus sancti, prout dicitur inferius.

373. *Observa.* Plures nobiscum sentientes principium quo proximum productivum Filii dicunt esse naturam divinam, ut est in Patre, vel intellectum, aut intellectionem notionalem, similiter principium idem Spiritus sancti esse naturam divinam, ut est in Patre et Filio, vel voluntatem aut volitionem notionalem utriusque. Eadem phrasi, quoniam subinde congruentior est cum quibusdam testimoniis nobis in speciem contrariis, liberaliter ac sine metu licebit uti; modo advertas his locutionibus non designari solitarie ac seorsim principium quo proximum, sed simul etiam, ac conjunctim, vel principium radicale ac remotissimum, ut fit in usurpatione vocis naturæ, vel potentiale aut formale etiam mediatum ac remotum, ut fit in dictionibus intellectus et voluntatis, aut intellectionis et volitionis. Quod diximus de principio, cum proportionem etiam asserimus de termino. Terminus enim processionis qui, seu totalis, est Persona producta: terminus quo, seu formalis productus, est proprietas Personæ productæ: terminus idem communicatus est divina essentia. Quod demum processionem formaliter acceptam attinet, ea quidem non est simplex emanatio seu resultantia,

eo fere modo, quo proprietates rei cujuslibet dicuntur oriri ab essentia; cum illa, secundum rationem productionis, immediate non proveniat a divina natura: *active* tamen sumpta non est actio stricte ac in rigore; utpote quæ originem motus et exitum de potentia ad actum dicit, denotatque causam tanquam sui principium, et effectum seu causatum tanquam terminum etc. *passive* autem sumpta nequidem simpliciter dici debet passio; quia hæc formaliter ac primario refertur ad principium materiale ac receptivum mutationis, includitque potentialitatem, patibilitatem et alios hujusmodi defectus: unde non nisi grammaticaliter, et ad indicandam processionis terminationem usurpari potest: cum e contrario *active* sumpta simpliciter vocari possit actio; quia ab ejus nomine et conceptu rescare motum, mutationem et causalitatem licet, solamque retinere productionis rationem. Utriusque locutionis differentie congruit usus loquendi inter Theologos receptus.

Porro processionem formalem *primæ* originis dici generationem aut natiuitatem, *secundæ* originis dici spirationem activam, aut passivam, et priorem utriusque originis identificari cum principio, posteriorem autem cum termino processionum, aut etiam cum principii vel termini relationibus, partim ex dictis, partim ex dicendis sequitur.

QUÆRES: *An et cur Processio Verbi, non autem Spiritus sancti, sit et dicatur generatio?*

374. *Nota.* Communius ex PHILOSOPHO L. 2. Phys. generatio definitur: *Origo viventis a vivente, ut a principio conjuncto, in similitudinem naturæ.* Præcipue sic definitam fuisse generationem creatam, facile constat ex fide, ut declaravit AUG. in Joann. Tr. 99. n. 9. scribens: *Filius nullus est duorum, nisi patris et matris: absit autem, ut inter Deum Patrem et Deum Filium aliquid tale suspicemur.* Unde patet, ea verba: *ut a principio conjuncto*, nec in divina, nec in communi divinæ ac create generatione locum habere. Ex residuis autem definitionis terminis sequitur, ad veram generationem et filium proprie talem requiri 1º. ut in ea ratione, qua formaliter constituitur, filius debeat esse productus; quia origo viventis a vivente productionem formaliter significat: 2º. ut, in qua ratione producitur ac constituitur filius, in eadem sit similis patri; quia origo viventis a vivente terminatur in similitudinem: 3º. ut similitudo sit naturalis seu secundum naturam; quia origo hæc dicitur in similitudinem naturæ.

Hinc vero oritur difficultas duplex: *prima* quidem in ostendendo, quod Verbum divinum sit verus filius Dei, et solum quidem, ac cum exclusione Spiritus sancti; cum uterque Patri sit natura similis ac consubstantialis, neuter autem habeat naturam productam, sed mere communicatam; ex qua *Macedoniani* cum *Arianis* sumpserunt occasionem etiam negandi utriusque divinitatem: *secunda* autem in determinando rationem et causam formalem cur filiatio vera conveniat ita Verbo, ut Spiritui sancto sit neganda; ex qua nonnulli PATRES cum quibusdam SCHOLASTICIS censuerunt, hanc rationem non esse quærendam, sed credendam. Quoniam tamen præter alios iidem Patres rationes quasdam discriminis postea protulerunt,

cum iisdem et plerisque Theologis, præter dogma fidei contra *Hæreticos* probandum, duximus quæstionem postremam non esse omittendam penitus, sed responsonem dandam, quæ videatur probabilior.

Pro qua supponimus interim 1º. secundæ Personæ, tanquam Verbo, convenire rationem imaginis et similitudinis intentionalis, Patrem, h. e. naturam hujus ac perfectiones representantis; quæ Spiritui sancto, tanquam amoris non competat: 2º. hanc similitudinem præcise intentionalem non sufficere ad rationem Filii constituendam; cum *generatio* similitudinem naturalem ex dictis postulet; neque in creatis verbum mentis, quo quis cognoscit se ipsum et intentionalem sui imaginem habet, unquam dicatur proles cognoscentis: 3º. similitudinem utramque, naturalem scilicet et intentionalem, posse secundum nostrum concipiendi modum ita componi velut in unam, ut utraque simul concipiatur tanquam adæquata et ultimata ratio formalis constituens et distinguens Filium in Divinis: unde ad quæstionem, *cur processio Verbi sit generatio?* daretur hæc responsio: quia actio ista est perfecte assimilativa, h. e. non tantum communicatio naturæ, sed etiam assimilatio termini secundum esse personale, seu in illa etiam ratione, in qua is producitur: 4º. hanc assimilationem perfectam oriri partim ac primo ex ratione principii, nempe intellectus notionalis, qui per se est potentia assimilativa et productiva Verbi consubstantialis; partim et ultimato ex ratione termini, qui non tantum est consubstantialis Patri et similitudo secundum naturam, sed etiam, secundum esse personale Verbo proprium, est intentionalis imago Patris.

375. *Dico I.* Processio Verbi est vera generatio, Verbum in divinis est verus filius Dei; processio autem Spiritus sancti non est generatio, nec ipse filius Dei.

Prob. 1ª p. I. Ex SCRIPTURA. 1º. Principium Verbi producens dicitur parere ac gignere; Isa. 66. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus: si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus.* Unde AUG. Ep. 66. (al. 170. n. 8.) ad Maxim. inquit: *Si temporalibus et passibilibus rebus Deus tribuit ut quod sunt hoc generent; quanto magis ipse æternus et impassibilis non aliud quam est ipse generavit, unus unicum? cui ATHAN. de decret. Nic. Syn. n. 11. CYRIL. ALEX. Thesaur. L. 32. (opp. t. 5. p. 326.) et HEROS. Catech. 7. n. 3. cum CONC. HISPAL. II. (Labb. t. 5. p. 1669. B.) consonant. — Item Psal. 2. 7. *Ego hodie genui te;* et Psal. 109. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te;* quæ testimonia Paulus ad Hebr. 1. 5. et cap. 5. 5. etiam Christo attribuit; Patres autem plerique de divina Verbi generatione accipiunt. 2º. Verbum dicitur concipi, parturiri ac gigni; Prov. 8. 24. *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram... ante colles ego parturiebar;* et Isa 53. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* quæ de Verbo et Christo dicta passim accipiunt et exponunt Patres ap. Ruiz Diss. 3. Sect. 1. laudati. 3º. Verus est in Divinis Filius, isque Jesus Christus. De priori AUG. ep. 49. (al. 102.) q. 5. et BEDA in Comment. intelligunt illud Prov. 30. 4. *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* posterius declaratur Luc. 1. 32. *Filius altissimi vocabitur;* et v. 33. *Vocabitur Filius Dei;* Matth. 16. 16. *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* quod alibi repetitur: item ad Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit;**